

nec volitus in se , nec in causa. Idemque dicunt etiam Navarrus & Cajetanus , si mater , vel nutrix , compertum habeat ex successiva experientia , quod dormiens numquam locum soleat mutare , sed ubi semel se collocat , ibidem soleat persistere , & semper se invenire : quia tota ratio prohibitionis consistit in illo periculo , quod propterea ubi cessat , cessat quoque ratio prohibitionis , proindeque peccatum. Unde inferunt , quod si lectus sit magna latitudinis , ac infans reponatur procul , ubi stare non solent , nec pervenire alii cubantes , tunc peccaminosa non sit ibi detentio infantis.

CAS. III. Antequam Titius fieret Clericus , chirurgiæ , ac medicinæ studuit ; & in eisdem adeo profecit , ut , post lauream , earumdem exercitio quamplura lucratus fuerit. Nunc tamen Clericatu adscriptus , ac in sacris constitutus premitur paupertate , cui propterea occurrere intendens , quærerit , an dictum exercitium ipsi repetere liceat ? Quid ei respondendum.

Respondendum , id ei minime licere , non obtento prius à Papa Brevi dispensationis. Ratio est ; quia licet antiquitus tale exercitium indifferenter licceret omnibus , sive Clericis , sive laicis , ut luculenter ostendit fel. mem. Benedictus XIV. de Syn. Dicœcs. lib. 13. cap. 10. justis tamen , ac urgentibus de causis , illud postea fuit interdictum majorum ordinum Clericis , immo & minoribus tantum initiatis , qui Ecclesiasticum Beneficium possident ; ut tradit idem Pontifex ibidem num. 5. quibus propterea , inquit , nunc esse necessarium Apostolicum Indultum , ut medendi artem valeat exercere. Ergo tale exercitium huic Clerico repetere non licet , Brevi dispensationis à Papa prius non obtento : quod aliter non conceditur , quam certis servatis conditionibus , quæ quandoque hæ sunt : Dummodo non adsit copia Medicorum , & dummodo gratis & pro amore Dei exerceatur : aliquando vero apponitur hæc clausula : *Dummodo nihil petas , sed à sponte dantibus recipias.* Et difficiliter conceditur quoad exercitium chirurgiæ , maxime cum facultate incisionis , vel adustionis. Hinc bene considerandæ sunt clausulæ in indulto expressæ ; nam dispensatus servare omnino debet conditions in Brevi appositas. Et de facto olim exorto dubio , an Clericus , qui obtinuerat Breve cum illa clausula , *dummodo nihil petas , sed à sponte dantibus recipias* , lice posset convenire cum aliqua communitate , ut , pro sua opera & labore , universitas ipsa eidem præstet certam annuam , seu menstruam summam , vulgo *por concierto , ó por salario.* Sacra Congregatio Episcop. & Regular. in una Terracinens. die 6. Septemb. 1697. negative respondit , eo quod fortasse non omnino gratis datum reputavit tributum *por concierto.* Vide caput decimum , supra indicatum , Benedicti XIV. ubi perdocte , more solito , à num. 1. ad 11. inclusive , materia hæc pentractatur.

AN-

ANNO MDCCCLVII. MENSE JANUARII.

CAS. I. M Ulier exponit Parocho in confessione , quod cum ipsam communicans fortuito dedisset ei duplē formulam , ipsa detulit unam ex his domum suam , qua sequenti die semetipsam communicavit. Q. quot peccata commisserit , & an Parochus valeat ipsam absolvere.

Resp. cum distinctione. Vel mulier , talia peragens operata est bona fide , putans nempe , ex quadam simplicitate , aut invincibili errore , ea sibi licere ; & in tali casu dico , ipsam talia agendo formaliter non peccasse , sed solum materialiter ; ideoque nil intervenire , à quo Parochus eam absolvat : cum deficiente formaliter malitia in operante , desit quoque materia absolutionis. Vel talia peragens operata est mala fide , sciens nempe , aut practice dubitans , ea sibi non licere ; & tunc dico , ipsam quidem multipliciter peccasse , Parochum tamen posse illam absolvere. Peccavit multipliciter ; eo quia commisit , primo , peccatum gravis irreverentiae erga SS. Eucharistia sacramentum , temere sacram formulam manu propria ex ore extrahendo. Secundo , gravis inobedientiae contra Ecclesiæ præceptum , eamdem tangendo , donumque asportando. Tertio , inobedientiae simul , & sacrilegii , eam sibi ministrando. Quarto , alterius sacrilegii , in statu mortalis peccati eam sumendo. Enim vero licet antiquius per plura sæcula viguerit disciplina , ut laici , qui sacra communione reficiebantur , in nudas manus Eucharistiam exciperent , suisque iudicem manibus in os inferrent , ac foeminae illam susciperent in album pannulum , eamdemque subinde suis , & ipsæ manibus ad os transferrent , prout , ex Card. Bona , Martene , ac Morino , tradit SS. D. N. Benedictus Papa XIV. tum de Syn. Dicœc. lib. 13. cap. 19. num. 27. cum de Can. Sanct. lib. 3. cap. 38. num. 17. ac de Sacrif. Missæ pluribus in locis ; tamen nunc temporis id obsolevit , ut idem advertit ; & ob contrariam consuetudinem , posterioresque Constitutiones fuit abrogatum ; & laicis , ac mulieribus yetitum est etiam tangere Eucharistiam , extra casum ejusdem ab injuria tuendæ , vel alterius gravissimæ necessitatis , ut colligitur ex cap. *Pervenit de Consecr.* dist. 2. ac notant Giribaldus , tract. 4. de Eucharist. cap. 6. dub. 4. Sporer , & alii ; quin immo nec eis licet tangere vasa , in quibus Eucharistia continetur , (Cap. *Non oportet I.* dist. 21.) Quidquid postea sit , an vasa Eucharistiam minime continentia , ex moderna consuetudine , tangi licite possint , à laicis Regularibus , Monialibus , Sacristis , ac Clericis simpliciter tonsuratis : circa quod vide Alphonsum de Ligorio de Euchar. ut Sacrif. dub. 5. num. 382. Edit. Ven. Si prædictis peccatis addas aliud sacrilegium à muliere commissum , cum antecedenter in statu mortalis trajecit alteram formulam

ad stomachum (quo tempore nondum erat completa, sed adhuc siebat cœlestis panis manducatio) habes quot peccata cominiserit indigna mulier, quæ propterea in foro punitur, ac si Eucharistiam asportaverit, aut retinuerit ad malum finem, nisi ipsa concludentibus, ac juridicis probationibus clare ostendat, se ad malum finem non asportasse, ac retinuisse: ut patet ex Const. Ab Augustissimo, quam die 5. Martii 1744. edidit laudatus SS. D. N. Benedictus XIV. Potest nihilominus a Parocho absolvi, eo quia nihil egit superstitionis cum abusu Sacramenti.

CAS. II. Fictus Sacerdos, per plures annos functus Officio Capellani in Ecclesia Parochiali, morti proximus in confessione exprimit Parocho, se neque habere primam Tonsuram. Q. primo, quo reatu se inquinaverit celebrando, & an ob id incurrit aliquam poenam? Secundo, quid agendum a Parocho, si predictus nedum Parochianorum confessiones exceptit, verum etiam sui loco alicui matrimonio astitit.

Respondeo ad primum quoad primam partem, hujusmodi fictum Sacerdotem triplici saltem nefario reatu se celebrando inquinasse; sacrilegæ nimirum temeritatis; idolatriæ saltem externæ; ac gravissimi scandali, per inductionem populi ad idolatriam materialem; uti colligitur ex Constitut. 81. Clementis VIII. incip. Et si; ubi, inter alia, haec habentur: Ad coercendam nefariam, & sacrilegiam quorundam hominum, temeritatem, qui cum ad sacrum Presbyteratus Ordinem minime promoti sint, Missarum celebrationem usurpare presumant... non solum actus idolatriæ, saltem per externa, & visibilia religionis, & pietatis signa exercent; sed etiam, quantum in ipsis est, efficiunt ut fideles, qui credunt, eos ordinatos esse, & rite conficer Sacramentum Eucharistiae, idolatriæ crimen ignorantem incurvant, &c. His adde reatum injustitiae, si pro Missæ applicatione eleemosynam accepit: cumque sit suspectus de hæresi, diligenter inquirendum est, an celebaverit cum errore aliquo in intellectu contra fidem, ac pertinacia involuntate; puta, quod licet non Sacerdos, celebrare potuerit; tunc enim incurrisset etiam reatum hæresis formalis, & quidem externæ per ipsum actum celebrationis. Quoad secundam parrem dico, quod si talis fictus Sacerdos celebrare præsumpsit cum mox dicto errore, ac pertinacia, incurrit in excommunicationem Summo Pontifici reservatam in Bulla Cœnæ. Si vero id fecit secluso errore, &c. nullam invenio poenam spiritualem, contra ipsum latam; & à pluribus eximitur etiam ab irregularitate, Cap. 1. de Cler. non ord. minist. cum ipse, utpote nec habens primam Tonsuram, non sit Clericus, immo in hoc secundo casu nec invenio reservationem delicti: quamvis enim sit casus spectans ad Tribunal S. Officii quoad poenam ipsi debitam in foro externo, tamen quoad absolutionem in foro Sacramentali, etiam extra mortis articulum, spectat ad quemlibet Confessarium ab Ordinario approbatum; cum nullibi constet de hujuscce casus reservatione, ut notat P. Syrus Placentinus Dilucidat. part. 1. Cap. 2. dub. 10. Dixi supra, me nullam invenire poenam spiritualem; quoad temporalem namque, si ejus crimen detegiur extra Sacramentum, tamquam suspectus de hæresi denunciandus est Inquisitori, penes quem, nisi aliunde, aut per ipsum, concludenter, & clare probetur, ipsum esse vere Sacerdotem, tradi-

ditur Curia Sæculari ultimo supplicio afficiendus, ut aliqualiter indicat ultima Dicecesana Synodus lib. 1. cap. 5. §. ult. & plenissime statuit, ac expavit SS.D.N. Benedictus Papa XIV. in celebri sua Const. Sacerdos in æternum, edita die 20. Aprilis 1744. quæ est 97. tom. 1. Bullarii ejusdem.

¶ Resp. ad sec. Parochum in hoc casu debere omnimode servare sigillum sacramentale, ac summopere cavere, ne ullo modo ipsum violet. Ad propiciandum nihilominus modo possibili, ac lito, animabus Fidelium, qui penes predictum nulliter plane confessi sunt, debet efficaciter ostendere in generali, tam de Altari, quam in Confessionali, necessitatem contritionis sæpe excitandæ, etiam de peccatis, quorum in foro pœnitentiaæ absolutionem obtinuisse confidimus, cum nulli certo constet, dum vivimus, se apud Deum esse vere justificatum, Salomone dicente Eccl. 9. Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit: & repetente Apostolo 1. ad Cor. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: quamcumque utilitas afferat, generalem aliquando toius vitæ peccatorum instituere Confessionem, ut præteritarum, si qui intervenerint, confessio num defectus corrigantur. Et quanvis revera evenire possit, quod aliquis ex predictis neque adsit hujusmodi Parochi concionibus, neque penes illum confiteatur; tamen id parum refert, si posmodum saltem una vice apud aliquem valide confiteatur cum dolore universalis de omnibus a se commissis: sic enim, etiam nulliter confessa penes fictum Sacerdotem, remanent absoluta eodem modo, quo invincibiliter oblita: quam ob causam censeo, Sacram Concilii Congregationem die 1. Decemb. 1683. respondisse Eminent. Georgio Barbadico Episcopo Patavino, nullas quidem esse Confessiones, quæ factæ fuerant Sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, sed non inquietandum populum, ut referunt Clericatus de Pœnitent. decis. 31. num. 14. & SS. D. N. Benedictus XIV. Notif. 17. tom. 4. Circa Matrimonia postmodum, quibus predictus astiit, dico, Parochum non teneri esse adeo anxium, quia sicuti Matrimonium est validum, etsi contractum coram Parocho mere putativo; vel habente collationem nullam, ob nullitatem concutsus, propter defecatum Examinatorum Synodalium, ut in Centensi declaravit S. Concilii Congregatio die 31. Iulii 1627. penes Barbosam de Offic. & Potest. Par. cap. 21. num. 51. ita quoque valida sunt quæ fuere contracta coram Sacerdote mere putativo si h. c. simul habebat titulum coloratum licentia ipsi data a Parocho eisdem assistendi, ut cum Sanchez, Bossio, Gutierrez, Bonacina, & aliis docet Giribald. de Matrim. cap. 7. dub. 8. num. 67. Neque dicas, ex Tridentino contrahi debere coram Parocho, vel alio Sacerdote. Nam sicuti quamvis Concilium apponat ly coram Parocho, id intelligitur coram Parocho, vel vero, vel putativo: immo etiam de Parocho, qui non sit vere Sacerdos, ut cumulatis DD. concordantibus notat Barbosa l. c. cum 60. & duplii Sacr. Congreg. Decreto comprobat De Ligorio de Matr. cap. 2. dub. 1. num. 1081. ita quamvis Concilium apponat ly vel alio Sacerdote, id intelligitur de Sacerdote vel vero, vel putativo, hoc est, tali communiter existimato. Et ratio fundamentalis est, quia ex una parte etiam hic, in foro externo, & apud homines, qui vident ea, quæ pa tent,

tent, majorem habet auctoritatem, majoremque reportat fidem in testificando, quam laici; & sic est testis auctorabilis: ex alia parte veritas Sacerdotii non requiritur de jure divino ad valide assistendum Matrimonio, sicuti requiritur ad absolvendum: sed solum requiritur ex dispositione Ecclesiae, quae propterea in casu dictae qualitatis defectum suplere potest, cum interveniat error communis una simul cum titulo colorato; ut etiam dicitur in casu Confessionis, bona fide factae, ac exceptae à Sacerdote, cui expiraverat facultas.

CAS.III. Obtinuit Sacerdos ab Episcopo facultatem excipiendi Confessiones in sua Ecclesia Parochiali. Q. an si eas excipiat etiam in aliis Ecclesiis Diocesis, ibi valide absolvat? Et quid, si facultas fuit eidem concessa sub hac forma: *Concedimus tibi facultatem audiendi Confessiones in Ecclesia Parochiali, & etiam in aliis, consentiente Rectori, vel Parocho earumdem;* an in hoc casu ibidem audiendo Confessiones absque licentia, & consensu Rectoris, vel Parochi, eas valide excipiat?

Resp. utriusque difficultatis solutionem vere ac proprie pendere ab ipsam Ordinarii voluntate, item à circumstantiis, & conjecturis particularibus, vel etiam à Constitutione Synodali, si quae alicubi quoad hoc facta est. Præcisive tamen ab hisce omnibus, & perpensis terminis propositi causus secundum se, ad I. dicunt Giribaldus de Sacram. Pœnit. cap. 14. dub. 3. num. 24. aliisque, Sacerdotem Confessiones excipientem in aliis Ecclesiis valide absolvere, quia ly in Ecclesia Parochiali non est particula taxativa, seu limitativa jurisdictionis, sed est modalis, ac loci demonstrativa. ut de communi testatur Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 24. n. 2. Et assignatio loci non pertinet ad valorem exceptionis Confessionum, sed ad reverentiam debitam Rectoribus aliarum Ecclesiarum, quatenus absque ipsorum licentia, & consensu, nemo debet in eorum Ecclesiis Sacramentum administrare, ut observant Aversa de Pœnit, quæst. 16. sect. 6. ac Bordonus tom. 1. var. Resol. resol. 36. quæst. 6. & 16. Quidquid tamen sit de probabilitate hujus opinionis, longe probabilius mihi videtur oppositum. Sicuri enim quando Episcopus approbat Sacerdotem ad certum tempus determinatum, puta, ad sex menses, vel ad certum sexum personarum, nempe ad mares, nequit ultra tale tempus, vel personarum diversi sexus, nempe, mulierum Confessiones valide excipere: item quando approbat Sacerdotem pro una Diocesi, non potest hic excipere Confessionem in alia Diocesi, quamvis idem sit Episcopus utriusque Diocesis; quia approbatio pro una, non est approbatio pro alia: ita &c. Ratio est, quia cum approbatio sit Episcopo commissa, ista non vallet ultra quod ab eo facta est, ut expresse docent Reginaldus lib. 1. num. 200. Suarez, & aliis omissis, Joann. de Cardenas, qui in crisi dissert. 2. cap. 6. art. 1. q. 1. refert S. Congregationem anno 1593. sic declarasse: *Approbatus ad audiendas Confessiones certi generis personarum, vel in certa Ecclesia, non censetur approbatus simpliciter: ac proinde non potest virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæorum, eligi ad audiendas Confessiones aliarum personarum, vel extra illas Ecclesias ipsi designatas.* Accedit, præmix hujus curiæ esse cum quis non approbatur pro certa tantum Ecclesia) ponere in Litteris paten-

tibus, huic concedi facultatem audiendi Confessiones in civitate, aut in Diocesi. Porro ad quid inserviret ista diversitas, si approbatus, ut audiat Confessiones in sua Ecclesia Parochiali, esset approbatus simpliciter, seu posse Confessiones excipere etiam in aliis Ecclesiis intra Diocesim, ibique valide absolvere? Dicendum est ergo, illam clausulam *in tua Ecclesia Parochiali*, non esse modalem, sed taxativam, ac limitativam loci: nam dictio *in* est omnino, ac prope ejusdem significationis, ac dictio *intra*: ut ait Tiraquel. de utroque Reu. §. 1. gloss. 11. n. 72. & 74. unde idem est dicere, *in tua Ecclesia Parochiali*, ac intra tuam Ecclesiam Parochialem. Propterea cum dictio *intra* sit diametraliter opposita dictioni *extra*, conseques est, quod Sacerdos vigore præfatæ clausulæ nequeat confessiones excipere, ideoque nec valide absolvere *extra* suam Ecclesiam Parochialem, seu in aliis Ecclesiis intra Diocesim; non enim potest fieri extensio ab uno loco ad alium, importatum per dictiōnēm diametraliter oppositam. Et ex his patet responsio ad rationes sententiæ contrariæ cum ly in Ecclesia Parochiali sit clausula non mere modalis, & demonstrativa, sed vere taxativa, ac limitativa jurisdictionis, proindeque in casu exigens nedum consensum Rectorum, vel Parochorum, sed & positivam approbationem Episcopi, ut in aliis Ecclesiis Sacerdos valide excipiat Confessiones.

Ad II. dico, in hoc casu Sacerdotem ibi valide excipere. Ratio est, quia tunc vere habet approbationem, & facultatem ab Episcopo, etiam ibi Confessiones audiendi, & consensus respectivi Rectoris, vel Parochi, in eo casu mere requiritur, ut his exhibeat debita reverentia, petendo ab ipsis licentiam administrandi Pœnitentiæ Sacramentum in ipsorum Ecclesiis. Neque dicas, ly *consentiente Rectori, vel Parocho*, reddere facultatem conditionatam, cum sit ablatus absolutus, solitus importare conditionem, l. à *Testatore*, ff. de Condit. & Demonstr. Contra enim: nego, quod reddat in casu facultatem conditionatam: nam ablatus absolutus plures connotat solum modum licite ac debite agendi, ut ostendit Sanchez l. c. disp. 33. & patet ex Trident. sess. 24. cap. 1. ubi pro Matrimonio præcipiuntur Denuntiationes cum ablative absoluto: *Quibus denuntiationibus factis*, & tamen, etiam illis illicite omissis, Matrimonium est validum, ut plures declaravit S. Congregatio, ac signanter in Mediolanensi die 28. Septembris 1591. Ex illo ergo ablative absoluto solum erui potest. Sacerdotem in iis Ecclesiis audiendo Confessiones absque licentia Rectoris, vel Parochi, id illicite factum: at non quod invalide, cum habeat expressam facultatem ab Episcopo, requirente quidem consensum respectivi Parochi, aut Rectoris, sed ad evitandas querelas, & jurgias, ac ut his exhibeat debita convenientia, & reverentia.

CAS.I. A dvenit circa meridiem Peregrinus in locum, ubi fit Vigilia Festi localis de præcepto, ibidem mansus usque ad meridiem sequentis diei. Q. an, si transitus est, teneatur ad Vesperam jejunare, ac die sequenti Missam audire.

Resp. secluso scando, probabilius videri quod non. Layman lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 24. & alii satis comm. Ratio utriusque partis est, quia præceptum, sive jejunandi ad vesperam, sive audiendi Missam in tali Fesio, utpote affixum tali loco, seu territorio, non obligat eos, qui sunt ibi per transitum; sed eos qui habent ibi domicilium, vel quasi domicilium, necnon eos, qui ibi vere ac proprie habitant. Jam vero Peregrinus ibidem hospitans à meridie unius diei usque ad meridiem alterius diei subsequentis, certe ibi non habet domicilium, vel quasi domicilium, & potius dicitur esse ibi per transitum, quam vere & proprie ibi habitare: siquidem ob tam brevem moram, moraliter itinerans dicitur, cum id continuo fieri dicatur, quod fit intra biduum, vel triduum, l. fin. C. de Judic. & l. ult. C. de Error. Advocat. Ergo nec tenetur ad vesperam jejunare, nec die sequenti Missam audire. Et parum refert, quod interim non teneatur legibus suæ patriæ, à qua abest: ex hoc enim legitime non infertur, quod propter ea teneatur legibus loci, in quo est per transitum: absurdum namque non est, quod inquantum ad hoc eo tunc teneatur solo iure communi. Busembaum de Leg. cap. 2. dub. 3. prout dicitur de itinerantibus, qui istiha transentes prætergrediuntur: hi siquidem non subduntur jurisdictioni Superioris loci, per quem transeunt, l. Hæres absens, §. Proinde, ff. de Judic. nec legibus particularibus ejusdem loci. Quod si opponas canonem Illa dist 20. ubi refertur illud celebre D. Ambrosii Cum Roman venio, Sabbatum jejuno; cum Mediolani sum, non jejuno; sic & tu ad quamcumque Ecclesiam veneris, ejus morem serva; dico, S. Doctorem ibi loqui in casu, quo secus intervenit periculum scandali, ut pater ex ejusdem verbis subsequentibus: si cuiquam non vis esse scando, nec quemquam tibi; quam ob rem apposui initio responsionis ea verba secluso scando, cui certe est obviandum; ideoque Apostolus 1. ad Corinth. 8. dicebat: Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

CAS. II. Sacerdos, obtenta ad annum facultate excipendi Confessiones, translit. se in aliam Diœcesim, animo vere ibi figendi domicilium. Sex tamen nondum elapsis mensibus, ad hanc remeavit. Q. an sine nova approbatione valeat hic Confessiones excipere?

Resp. affirm. cum Suarez de Pœnit. disp. 28. sect. 7. n. 9. Giribald. eod. tract. cap. 14. dub. 5. in fine, de Lugo, & alii, dummodo approbatio non fuerit interim revocata ab Ordinario, aut ab ipsomet Sacerdote renuntiata, neque hic mutaverit statum. Ratio est, quia approbatio concessa ad tempus determinatum non cessat, nisi vel per revocationem ejusdem factam ab Ordinario, vel per lapsum ipsius temporis determinati, vel per voluntariam Confessarii renuntiationem ab Ordinario acceptatam; vel denique, ut aliqui dicunt, per hoc, quod Confessarius elegerit alium statum. Sed neutrum ex his verificatur in casu: ergo sine nova approbatione potest idem Sacerdos hic Confessiones excipere. Neque dicas, ex ipsomet Suarez l. c. num. 8. Lugo de Pœnit. disp. 21. sect. 2. num. 15. aliisque approbationem cessare etiam mutatione Diœcesis; præcipue si mutatione fiat animo alibi figendi domicilium, quia tunc Sacerdos censetur cedere juri approba-

tionis; quæ proprie manet extincta. Contra enim: cessat mutatione Diœcesis, quatenus jam habita approbatio non valet pro alia Diœcesi, ad quam divertit, concedo; quatenus amplius non valet, si ante lapsum termini revertatur ad Diœcesim, pro qua ipsam habuit, nego. Suarez, Lugus, & aliqui dicentes, approbationem cessare mutatione Diœcesis, loquuntur coherenter ad celebrem Constitutionem Superna, vigore cujus, approbatio habita in una Diœcesi, non inservit pro alia; unde dicunt, approbationem cessare, quatenus pro audiendis confessionibus in nova Diœcesi requiritur nova approbatio. At nullibi negant, eamdem Sacerdoti sufficere, si ante lapsum termini eo revertatur, unde discesserat; immo expresse hoc affirmant, ut videre est apud Suarez ibid. num. 9. Lugum pariter ibid. num. 44. aliosque, ubi de hoc agunt. Nec refert, quod Sacerdos alio abierrit animo ibi figendi domicilium; nam in primis hoc non probat, quod eesserit prædicto juri etiam pro casu, quo revertetur intra tempus determinatum; siquidem hujusmodi cessio est quædam donatio, quæ non ita facile supponitur. Deinde, quamvis cessisset, si renuntiatio non fuit ab Ordinario acceptata, Sacerdos regressus ius suum prosequi potest; etenim approbatio habet quodammodo rationem privilegii, ut inter alios docet Bonacina de Leg. disp. 1. quest. 3. punct. 8. §. 4. num. 4. Jam vero de ratione privilegii est, quod si ejusdem renuntiatio non fuerit à Principe acceptata, adhuc duret; cum enim vim habeat à voluntate Concedentis, si Superior ejus renuntiationem non acceptat, semper vivit; & ideo potest Privilegiatus, murata voluntate, illo uti privilegio, cui prius renuntiavit; ut cum eodem Bonacina, Nugno, & Sanchez, docent Donatus in Praxi Rer. Reg. tract. 12. quæst. 4. num. 1. Giribaldus, aliqui comm. Et de facto praxis ac usus communis est, quod Sacerdotes redeentes ad Diœcesim, & locum, pro quo sunt approbati, ibi absque nova approbatione Confessiones excipient, si facultatis tempus nondum expiravit.

CAS. III. Relicta fuit pauperi Clerico non modica pecunia summa, cum prædiolo, quercibus, iisque arboribus abundantie, ex quarum foliis alantur bombyces. Propriæ ad congrue sustentandam se, suamque familiam, statuit date Mercaori, aut Campori pecuniam in societatem emere, ac aleare sibi, eosque postea utiliter revendere, & cum foliis motorum in æde propria arti sericea operari dare. Q. an licite?

Resp. non posse licite facere primum, bene vero secundum, & tertium, modo infra dicendo. Ratio primi est, quia erit in Cambiarum activum est species quædam negotiorum, quæ neque per interpositam personam licite potest à Clericis exerceri, ut docet SS. D. N. Benedictus Papa XIV. Syn. Diœc. lib. 9. cap. 6. n. 4. & 5. ubi non obscure declarat, etiam ob hoc incurri penas, quæ à Sacris Canonibus, suisque in litteris Apostolicis, datis die 25. Febr. 1741. necnon ab aliis Constitutionibus Apostolicis, statutæ sunt contra Clericos negotiatores. Ratio secundi, ac tertii desumitur ex responsibus datis à Saer. Cong. tertiae, ac quartæ interrogationi, ipsi factæ à Presbyteris, & Clericis Terra Mediae Neocastrensis Diœc. quatum prima hæc erat: An ii qui in propriis terris habent quercus, & castaneas, quarum fructibus suis vescuntur, possint suis emere, eosque alere, & pro familia susten-

tatione vendere. Alterum: An iudem Clerici cum foliis suarum arborum possint in propriis ædibus arti serice operam dare &c. Sac. Cong. Conc. respondit ad 3. Itidem posse pro sua, & familiæ suæ sustentatione, dummodo tamen in emendis, alendis, seu distrahendis suis, nihil sordidum, aut indecens ordini Clericali exerceant. Ad 4. Licere Clerico earumdem arborum foliis per se ipsum, absque sui officii detimento, dumtaxat pro sua, ac familiæ sustentatione, arti serice operam dare; dummodo tamen in artificio hujusmodi, personas suspectas non adhibeat, & quoad hoc Episcopi licentiam, quæ gratis detur, obtineat. Vide Matthæuccium Offic. Cur. cap. 33.

M E N S E M A R T I I.

CAS. I. Dispensatus ut possit comedere carnes in Quadragesima, modicū cum quandoque in comedendo sentit appetitum; propterea ad hunc excitandum, iis diebus, quies carnem edit, eamdem comedit intinctam in halece destructa in jure, cum modico aceto, saccharo, & cinnamomo. Q. an carnis comedio cum hoc intinctu eidem liceat in Quadragesima?

Resp. Videri quod sic, usquequo aliud non declaretur. Ratio est, quia licet prefatus SS. D. N. tam in suis Litteris Apostolicis, datis die 39. Maii, & 22. Augusti 1741. quam in Rescripto ad Postulata Archiepiscopi Compostellani, facto die 8. Julii 1744. vetuerit pro tempore Quadragesimæ, aliisque diebus jejunii de præcepto, promiscuam comeditionem carnis, ac piscium tamen utrobique uititur vocabulo Epularum; sic in Encyclicis ait: *Licitas, atque interdictas epulas promiscue, minime apponendas esse. Et in Rescripto: Epulas licitas pro iis, quibus permisum est carnes comedere, responderimus esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces; adeoque utrumque simul adhiberi non posse.* Sed Intinctus ex halece destructa in jure, cum modico aceto, saccharo, & cinnamomo, non est epula: *Epula namque ex Calepino idem est ac italice Vivanda; prædictus vero intinctus non est quod italice Vivanda, sed potius ejusdem condimentum, salsa quedam, aut sapor, prout etiam de intinctu in generali inquit idem Calepinus V. Intinctus;* ergo &c. Neque dicas, etiam juscum carnis non esse epulam carnis: & tamen tempore Quadrages. illicitum esse non dispensato quidquam juscum sumere simul cum piscibus, eo quia in ipso juscum reperitur substantia carnis. Unde, cum etiam in dicto intinctu reperiatur substantia halecis, parum refert quod non sit epula piscium, ad hoc ut dispensato illicita sit sumptio ejusdem cum carne. Contra enim: concessu antecedente, nego consequentiam, & dico, disparitatem esse, quia non dispensatis nendum tunc prohibitum est comedere epulas piscium una simul cum epulis carnis, verum etiam quidquid carnis substantiam aliqualiter includit, aut originem ducit à carne; ut probant DD. in tr. de Jej. hinc cum juscum carnis includat substantiam carnis, nil mirum quod à non dispensatis sumi nequeat tempore Quadragesimæ, sive simili, sive sejunctim ab epulis piscium. Ab opposito, dispensatis haec tenus solum prohibita est promiscua comedio epularum; quæ proinde cum non interveniat, quando dispensatus comedit carnem simul cum dicto intinctu; ideo

ideo dico ipsi licere in Quadragesima, usquequo aliud non declaretur.

CAS. II. Quis vere infirmatur, sed absque præjudicio stare potest ad Vesperam cum collatiuncula ex cibis, quos adhibent viri rectæ meticulosæ conscientiæ, non dispensati. Q. an diebus jejunii debeat hac esse contentus?

Resp. affirm. Ratio est, quia à lege jejunii tantum quis deobligatur valetudinis causa, quantum exigit necessitas, aut gravis indigentia oppositi; pietas namque S. Matris Ecclesiæ quoad legem jejunii, aliasque leges ab ipsa statutas, in hoc sita est: Primo, quod si lex observari nequit absque gravi præjudicio, vel incommodo, tunc Ecclesia non intendit obligare; secus vero si legis observantia secum defert solum aliquid leve incommodum. Secundo, quod cum lex habet pro objecto aliquid divisibile in partes, si nequit observari quoad totum, bene vero quoad aliquam partem, Ecclesia obligat solum quoad illam partem; cuius observantia ac executioni propterea quis tenetur: ut patet ex damnatione Propositionis 24. facta ab Innocentio XI. quoad recitationem Officii. Hoc præmisso: Cum lex jejunii habeat pro objecto aliquid divisibile in partes (ut expresse colligitur ex Litteris Apostolicis 19. 27. 55. & 99. SS. D. N. Benedicti XIV. tom. 2. Bullar. ejusdem, ubi injungit Episcopis, ne ulli permittant diebus Quadragesimæ, valetudinis causa, carnis vesci, ni adiecta lege unicæ comeditionis); & ex altera parte is, de quo est sermo, stare possit ad vesperam, sine præjudicio, cum collatiuncula ex cibis, quos adhibent viri rectæ meticulosæ conscientiæ, non dispensati, ut exponitur in casu proposito: inde infertur per legitimam consequentiam, quod hic tali collatiuncula debeat esse contentus; siquidem tenetur observare jejunium in ea parte, qua potest sine præjudicio; sicuti non potens recitare Matutinum & Laudes, bene vero reliquas Horas, has recitare tenetur. Neque dicas, esse per accidens, quod hic stare possit absque præjudicio cum tali collatiuncula; ideoque cum leges positivæ respiciant id, quod communiter, ac in pluribus evenit, l. omnes populi, ff. de Just. & Jur. ipsum non teneri ea esse contentum. Contra enim: est per accidens, si recenseatur inter infirmos adeo graves, ut sint omnino viribus destituti; concedo: hi enim sunt absolute impotentes ad observandam quamcumque partem jejunii; ac propterea de his non loquor. Est per accidens, si recenseatur inter infirmos, habentes adhuc vires sufficientes; nego: hi enim cum adhuc possint servare dictam jejunii partem absque præjudicio, non video cur ab ejus observantia eximi debeat. Vide quæ dixi ad III. Januarii 1748. iis namque confirmatur præsens responsio.

CAS. III. Scrupulis angitur Sergius circa observantiam jejunii, eo quia domi suæ prandetur per horam ante meridiem. Q. an hæc horæ anticipatio in prandendo, secluso rationabili motivo, sit peccaminosa?

Resp. Esse peccaminosam, sed non excedere veniale. Ratio primæ partis est, quia licet hora prandii, quæ ætate hac nostra est in meridie, seu circa meridiem, non sit de essentia jejunii; est tamen conditio, seu circumstantia ab Ecclesia, vigore legitimæ consuetudinis, præscripta; cuius propterea transgressio, si fiat absque rationabili motivo, importat aliquam deordinationem à lege, seu præcepto, & sic est peccaminosa. Quamobrem D. Thomas